

STATUTUM XII. (X)

De Examine Professoris vocati.

Sic ut praemissum est vocatus ad Collegium Professor, antequam illud ingrediatur et possessionem Cathedrae adeat, debet se, similiter sub nullitate vocationis, subdere examini Clarissimorum Doctorum Collegium actu inhabitantium, ut per illud se idoneum et habilem ad docendum exhibeat. Idoneis enim Magistris non est deneganda licentia docendi, alias hoc ipso denegaretur doctrina ignorantibus. (c. Quoniam. et ibi gloss. v. Qui sit idoneus. de Magistr.)

STATUTUM XIII. (X)

De Disputatione vel Principiatura ante Ingressum praemittente.

Ad Collegium vocatus Professor, quamvis privatim per examen vires quid valeant; humeri quid ferre recusent monstraverit; tamen ad Cathedram et Professionem fidei sub paena superioribus immediate Statutis duobus expressa, admitti non debet nisi prius publicam disputationem ex Utroque Jure desumptam et per Clarissimum Dominum pro tunc Facultatis Juridicae Decanum approbatam expediverit, aut hac de speciali favore et consensu Clarissimorum Dominorum Collegarum ad certum tempus ex aliqua causa rationabili dilata se per Principiaturam ad possessionem Cathedrae admitti petierit. Qui enim honorem Cathedrae assequi desiderat, necesse est, ut vires suas, cum hoc, quod subitaneus est onere metiatur. (can. Non est putanda. 1.9.1.)

STATUTUM XIV. (XI)

De tempore invitationis CC. DD. Doctorum et Pfrum pro actu responsionis et requisitis ad invitationem.

Quandoquidem laborantibus proficere debeant esse labores, ad quos alacrius suscipiendos quoniam spes praemii invitare soleat (Menoeh. Cons. 390. n. 43. et Lib. 7. de Praesumption. Prae-

sumpt. fin. n. 1.) ideo CC. DD. Doctores et Professores per Responsurum pro Collegio Professorem triduo ante responsionem pro Disputatione invitentur et unicuique Quaestio Typis expressa officiose ad manus in propria ejus residentia reddatur, ac inhaerendo antiquae consuetudini unicuique Clarissimo Doctori in vim laboris, quae in disputando subiturus est, aureus Hungaricus unus, Professori vero Imperialis unus idque circa invitationem pro Disputatione, jam autem Clarissimo Facultatis Juridicae Decano circa approbationem Quaestionis duo Aurei Hungarici sub non admissione ad Responsionem reponantur. Aequum enim est laborem cujusque digna remuneratione compensari. (c. Cum secundum. de Praeben. et l. fin. §. Similiter. C. de Alluvionib.).

STATUTUM XV. (XII)

De jucundo ingressu.

Siquidem Sacris Literis (Proverb. Cap. 15. vers. 13 Cap. 17. vers. 22. et Cap. 25. vers. 20.) Sacris cann. (can. Convivia et seqq. dist. 44. ac ll. C. de Public. laetit.) animi exhilaratio, cibi et potus sumptio, maxime si sit moderata et causam honestam habeat, non improbetur; ideo Statuto praesenti Clarissimus Professor, propter successum et exitum secundum Responsionis suae pro Collegio, ab appositione portionis in vim jucundi ingressus non arcetur, quinimo penes consuetudinem immemorabilem ac in legem tractam suamque hac in parte alacritatem et generositatem conservatur. (Inquit enim Gregor. Nazian. de Beatid. fol. 31.) Beatus, cui ob res ad faciendum propositas laetari, placere et exultare licet.

STATUTUM XVI. (XIII)

De admissione Professoris ad Collegium et solutione Ingressus.

Quoniam ad Cathedram admissio Professori, ea, quae Cathedram sequuntur negari non debent. Ad concessionem enim unius expresse, videntur tacite concessa illa, sine quibus conces-